SYNODI DIOECESANÆ

Ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D.

FRANCISCO

TITVLI S. MARCELLI


S. R. E. CARD. PRESBYTERO,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Fauentinæ Ecclesię Episcopo celebratæ

DECRETA

Anno Domini MDCXXIX.

Die XXVI. Aprilis.



FAVENTIÆ,

Ex Typographia Georgij Zarafallij. MDCXXX.

FRANCISCVS TITVLI S. MARCELLI S. R. E. CARD. EPISC. FAVENTINVS

Vniuerso Clero, & Populo Fauentino salutem in Domino.

CVM primum vocante Deo, Vrbanoq Diuina Prouidentia Papa viij præcipiente Fauentinæ huius Ciuitatis Pastorale munus aggressi fuimus, nobis illud vnum proposuimus, vt Populi, Cleriq. nobis commendati disciplina, si qua ex parte collapsa, restitueretur, si qui abusus & corruptelę ab inimico superseminatę fuissent, tollerentur, vitia extirparentur, Ecclesiarum ornatui consuleretur, Diuinus cultus pro viribus augeretur, & omnia demum ex Sacri Concilij Tridentini decretis præscripta rite perficerentur. Propterea vrbem totam perlustrauimus tot Ecclesijs, Oratorijs, Capellis, Monasterijs, Pijs Locis, Sodalitijsq. pro loci amplitudine, populiq. frequentia ita exornatam, vt populi huius religionem maximam semper extitisse clarissime cognouerimus. Diœcesim quoq. satis amplam, locorum situ, & asperitate difficilem summa celeritate percurrimus: & licet non sine labore, summa tamen re-

pleti conſolatione ex veſtra in agro dominico co-lendo ſollicitudine, dilectiq. populi ad omnem diſciplinam & voluntate, & cooperatione ſuſcipiendam, vnde factum eſt, vt longe melius, quam optauerimus, diuina fauente clementia, omnia nobis propoſita & optatis reſponderint, & viſitationis huius labores cælitus conceſſa cumulatiſſime compenſauerint. Hinc etiam ſperauimus fore, vt veſtra deinceps opera nullo premamur onere, nulla ſollicitudine vexemur, in ſummo negocio ſummo ocio, ſumma quiete, ſumma tranquillitate perfruamur: vos namq. in partem noſtræ ſollicitudinis diuinitus vocatos veſtra ſponte ſatis incitati nobis ita conſtitit, vt propterea nulla noſtra videamini cohortatione indigere. Quia tamen, quamdiu ſumus in hoc corpore, non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitię in cœleſtibus. Ideirco, ne quis vnquam eorum, pro quibus vigilamus, pro eorundem animabus rationem reddituri, iſtorum ſuggeſtionibus, inſidijs, & fraudibus, corrupta quoq. natura impellente (quod Deus auertat) ad aliqua rapiatur vitiorum diuerticula, veluti armorum ſalutarem officinam, quæ in noſtra præſenti Synodo Decreta fuerunt typis edita, ex noſtri Paſtoralis Officij debito quantum in domino poſſumus omnibus con-

ſulere

quere cupientes, omnibus proponimus. Omnes igitur ex vestra erga Præpositos vestros obedientia toties Apostolico commendata testimonio omnia suscipite, & in executionis consuetudinem viriliter inducite. Horum tamen promulgatione ijs, quæ à prædecessoribus nostris, & præsertim ab Illustrissimo bo.mem. Cardinali de Valentibus ad morum corruptelas radicitus extirpandas, modo nostris nõ aduersentur, nihil plane derogatum esse volumus, sed omnino confirmamus, & illud idem, quod antea, firmitatis robur adijcimus. Faxit Deus Optimus Maximus ne de vobis concepta spes nos fallat, & expectationi iam pridem excitatæ studia vestra respondeant, vt à Principe pastorum simul omnes audire mereamur: Suscitaui mihi Sacerdotes fideles, qui secundum cor meum, & animam meam fecerunt, mecum etiam cum grege sibi commisso in pulchritudine pacis omnium bonorum aggregatione cumulatissima perpetuo gaudebunt.

INDEX RVBRICARVM,

Quæ in præsenti Synodo continentur.

Bullæ

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

Nos Franciscus Tit. S. Marcelli S. R. E. Presbyter Cardinalis Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Faventinus, quæ in nostra Diœcesana Synodo sancita fuerunt Decreta, ad Populi ædificationem, Cleri decus, & ornamentum, Deoq. debiti cultus augmentum obseruanda proponimus, & promulgamus.

De Fide Catholica, & illius professione.

1 Corde ad iustitiam cum credatur, confessio autem fiat ad salutem, primo loco quę ad Fidem pertinent, vt initium bonorum operum, & totius spiritualis ædificij tutissimum fundamentum, ea nobis deligenda proposuimus. Vnde quæ corde credimus, & pura mente retinemus, eadem quoq. palam verbo, & opere profitemur. A sacrosanctis œcumenicis Concilijs definita inuiolabiliter obseruanda recipimus, & Summo Romano Pontifici Christi domini Vicario omni reuerentia, & humilitate veram promittimus obedientiam, contraria omnia, & ab Ecclesia damnata omnino damnantes, detestantes, anathematizantes.

2. Bullam Pij Quarti de Fidei Professione ab omnibus exactissime seruari præcipimus, omnibusq. & singulis quamcunq. artem litterariam, seu liberalem disciplinam, facultatemq. profitentibus tum publice, tum etiam priuatim domi suæ, vel alienæ pueros in litteris erudientibus iniungimus, vt intra mensem Fidei professionem emittant. Parochis insuper eam curam imponimus, vt an huiusmodi professores, qui intra suæ Parochiæ limites degunt, iussis obtemperarint, inuestigent, deq. illorum vita, & moribus diligenter inquirant, & nobis denuntient, vt ouile dominicum aduersus omnia tela nequissimi in virtute Dei custodiatur per Fidem in æternam salutem, possintq. omnes

perfecti ſtare, vt tandem propoſita fidelibus præmia, Diuinæ adiuti gratia fœliciter conſequantur.

3 Tandem ex Gregorij XV. Conſtitutione hęc omnibus, & ſingulis pręcipimus, videlicet: *Vt conſtito quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à Fide apoſtatando, Maleficijs, ſiue Sortilegijs vnam, ſeu plures perſonas ita læſerit, vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur debitis pœnis puniendus: Qui vero ſimiliter apoſtatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, ex quo, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, ſiue animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, ſiue perpetuis Carceribus in Sancto Inquiſitionis Officio, vbi illud exiſtit, fabricandis, mancipari debeat. Qui ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſiue Inquiſitori denunciare teneantur.* Hæc autem vt omnibus innoteſcant, intra Miſſarum ſolemnia Parochi Populo denunciabunt.

De Libris Prohibitis, & ludi Magiſtris.

QVam horrendis turpitudinum monſtris, abhominabili ſordium colluuie, teterrima peſte fœdentur illi, & corrumpantur, qui libros tam metrice, quam ſoluta oratione conſcriptos, non dicam contra Religionem tantũ, verum etiam contra bonos mores, qui videlicet res laſciuas continent, & obſcęnas, apud ſe retinent, & legunt, etiam ipſimet ethnici grauiſſime conqueſti clariſsime demonſtrarunt, eosq; quod molliant animos Noſtros, & neruos omnes virtutis elidant, à republica bene inſtituta exulare voluerunt. Pro innumerabilibus ex noſtris inſtar omnium D. Auguſtinus huiuſmodi Libros appellat flumen tartareum, in quo iactantur filij hominum. Propterea à Sacro Concilio Tridentino in ſeptima Indicis regula: *Libri omnes, qui res laſciuas, ſeu obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant, docent, cum non ſolum fidei, ſed etiam morum, qui huiuſmodi Librorum lectione facile corrumpi ſolent, ratio habenda ſit, omnino prohibentur.* Nos autem ſanctiſsimis Patribus, & Concilijs inhærendo huiuſmodi Libros omnino prohibitos eſſe declarantes, ne illorum lectione vnquam contingat, vel aliquos errores ſubrepere, vel bonos mores corrumpi, præcipimus, vt Librorum Prohibito-

bitorum Indicem habeant Parochi, quem sæpe legant, & ne illorum lectione pestiferum aliquod virus effundatur, diligentissime laborent.

Nullus Ludi Magister conducatur, minusq. domi recipiatur qui non prius à nobis, vel Vicario nostro quo ad litteratura & mores approbatus fuerit, cui, vt Leonis X. Bullam, quæ incipit: *Supernæ dispositionis arbitrio, &c.* præsertim §. 15. *cum omnis ætas ab adolescentia, &c.* additis, quæ in Synodo ... me. Cardinalis de Valentibus prædecessoris nostri præcipitur, exactissime obseruet, omnino iniungimus.

Vt iidem Ludi Magistri eos retineant mores, quibus ab ... tio cõmendati à nobis, vel Vicario nostro approbati fuer ... & ea, ad quæ tenentur ex munere, quod profitentur, in ... biliter obseruent, Parochi inuigilabunt. Vbi retrorsum ... quem conuersum esse repererint, vt opportune prouideatur, nos, vel Vicarium nostrum fideliter admonebunt.

De Doctrina Christiana.

QVanti referat in ijs, quæ ad religionem pertinent à primis annis pueros instituere, tum veteris, tum nouæ legis innumera manifestant exempla. Susanna illa, quod erudierint eam parentes eius secundum legem Moysi, mortem potius elegit, quam peccare in conspectu Domini Dei sui. Sancti illi Tres Pueri in fornacem præmitti voluerunt, & Machabæi Septem Fratres acerbissimam mortem subire, quam ne latum quidem vnguem ab ea lege discedere, quam à patribus acceperunt, diuinitus adiuti seruauerunt, & ad finem vsque singulari Dei beneficio in ea perseuerantes gloriosa morte illustrarunt. In lege Euangelica huiusmodi exemplorum plena sunt omnia, quæ etiam nostri officij nos admonent. Quocirca singulari huic operi studium, & diligentiam suam dicantes eximijs à Deo promissionibus, & cœlestibus præmijs præ cœteris extolluntur. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi Stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Sanctissimum istud opus Sacri Concilij Patres neglectum, vt ad obseruationem redigerent, & in eo torpentes excitarent, non vno tantum in loco grauissime præcepe-

runt, & præcipuè sess.24. cap.4. de Ref. *Episcopi saltem Dominicis, & alijs Festis diebus Pueros in singulis Parochijs Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab ijs, ad quos spectabit, doceri curabunt; &, si opus sit, etiam per Censuras Ecclesiasticas compellent*. Sanctissimo huic Decreto vt pareamus, animas nostræ Pastorali curæ commissas ne debita sollicitudine fraudemus, & vobis omnia facilia reddamus, hæc describenda duximus.

Quæ à bo. me. Cardinale de Valentibus prædecessore nostro sancita fuerunt, ea Parochi omnes legant, & diligenter obseruent vna cum regulis, quæ eiusdem iussu editæ fuerunt, & vt ... deuerunt singuli Doctrinam Christianam edoceant.

... ber conficiatur, in quo Clericorum cuiuscunq. Parochiæ ... mina describantur, qui singulis quibusq. Dominicis diebus Parocho Christianam Doctrinam docenti assistant, a Præfectis, vel Subpræfectis absentes punctentur, & Ordinationum tempore Cancellario nostro præsentetur, vt diligentes ad ordines admittantur, negligentes verò, seu veriùs hæc salutaria decreta contemnentes ab ijsdem ordinibus arceantur.

Ludi Magistri frequenter occasionem arripiant suos discipulos Christianam Doctrinam docendi, & ad minus semel saltem in hebdomada à Diuina Maiestate pro exiguo labore amplissima præmia percepturi.

Ne Ministris indigeamus, quorum satis amplus numerus est necessarius, ex Laicorum Confraternitatibus, Confratres aliqui deputentur, qui pio huic operi inseruiendi laborem non recusent.

Consuetus Christianæ Doctrinæ libellus adhibeatur, prouectioribus autem Illustriss. Card. Bellarminij docentium arbitrio pro illorum prudentia proponi poterit.

Parochi rurales singulis Dominicis diebus clara, & alta voce distinctè Populo respondente, & repetente ante Missam recitabunt Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, & Septem Ecclesiæ Sacramenta cum eiusdem Præceptis recitabunt, omnibus, & singulis quoties id fecerint concessis viginti quinque diebus de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta.

De

De Canonico Theologo.

CAnonico Theologo diem, horam, & materiam interpretandam arbitrio nostro singulis annis definiemus, & locum lectionis Ecclesiam esse declaramus.

Parochi omnes non legitime impediti, & Clerici eiusdem lectioni, vt alias decretum fuit, interesse debebunt.

De Verbi Dei Prædicatione.

CHristianæ reipublicæ Verbi Dei Prędicatio quam sit necessaria, necessarioq. ab ijs, quibus animarum cura imposita est suscipienda, & omni tempore adimplenda, vt eius, quam professi sunt fidei omnes in officio contineantur, & opere adimpleant, quod fidei sacramento solemniter spoponderunt, licet clarissime demonstret grauissima illa Apostoli ad Timotheum adiuratio: *Testificor coram Deo, &c. Prædica Verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina:* Quia tamen eo iam ventum est, vt omnes quę sua sunt quærant, non autem prædicationis munere quæ Iesu Christi, animas videlicet non corruptilibus auro, vel argento redemptas, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, propterea Sacrum Concilium officij sui animarum pastores admonens, diuinumq. prædicationis præceptum illustrius reddens sess. quinta cap. 2. de Ref. hæc præscribit. *Archipresbyteri quoque Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias Animarum curam habentes Ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, &c.* Nos quoq. his inhærentes, ne qua pars officij nostri desideretur hæc præcipimus.

Vt nullus ad villas concionator mittatur qui prius non fuerit examinatus, & ad audiendas Confessiones idoneus repertus.

Ad Prædicationis munus electi, antequam illud aggrediantur ad nos accedant spirituales populi necessitates audituri, & typis editas institutiones percepturi.

Prędicationis munere functi cum fuerint, de eorũ vita, mo-

ribus, exemplo, & fructu Parochi nos certiores faciant, & omnia in Synodalibus Constitut. bo.me. Card. de Valētibus prędecessoris nostri tā Parochi, quam etiā Concionatores obseruent.

De Ieiunio, & dierum Festorum obseruatione.

QVæ à bo.me. Cardinalis de Valentibus prædecessore nostro de Ieiunio, & dierum Festorum obseruatione salutariter traduntur innouantes, illis qua ex parte coniuncta sunt addenda ea censuimus, quæ titulo sequenti continentur.

De Ludis, Chorëis, Saltationibus, Tripudijs, & (vt vocant) Carneualibus seu Festinis.

CVm nunquam vrgere desinant occasiones præsertim loci, temporis, & personarum, quæ ad crimen viam muniant, inuitent, & quasi manu ducant, & a quibus natura carnis nostrę corrupta proximum tētationis fomitem ad peccatum arripiat, his tamen non contenta hominum licentia eo prouecta est, vt etiam communes aperiat luxuriæ officinas, publica incontinentiæ gymnasia constituat, pestilentię cathedras erigat, & pessimum plurimorum malorum xenodochium pręparet, domus, inquam, per homines ad scelestißima quæq. & lingua, & manu quam paratißimos, paratas exhibeat, in quibus ludi exerceantur, quos vulgo Baccanas vocant, & Baratarias horrendißimarum blasphemiarum nutrices: in quibus diu, noctuq. chorec ducantur, saltationes, tripudia omnium malorum, & flagitiorum semina, quæ naturæ vitijs excerpta turpes germinent cogitationes, obscæna verba, verbis facta fœdiora, stupra, adulteria, innumeraq. mala: vnde erumpant blandißimæ libidinum illecebræ, morum peßimæ corruptelæ, infinitæ diuini numinis offensiones: vnde profluat dißidiorum, discordiarumq. mare magnum, & formidolosum: vnde serpant iræ, rixæ, inimicitiæ, & cędes, ne sanguine quidem posterorum extinguendæ: &, quod nunquam sustinendum est, immo quam maxime detestandum, Festi dies ad placandum Deum nostris sceleribus offensum, huic pene communi insaniæ dedicantur. Eo tempore, quo mortis doloribus propositis, inferniq. periculis pijßima mater Ecclesia

lugu-

lugubri vestitu, ac funebri tota in mœrore posita, nos ad pœnitentiam inuitat, ad hæc lenocinante publicæ corruptelæ malo, dum silent ipsæ leges, quod iura peccatis consensisse videantur, & putetur licitum esse quod publicum est, ad æternam fidelium perniciem hæc insania grassatur, exultat, furit, debacchatur.

Hæc omnia malorum incitamenta, vt perpetuo a Christi fidelibus exulent, cum omnem operam animarum pastores præstare debeant, quantum in domino possumus eos vehementer etiam, atq. etiam hortamur, vt sibi subiectos arguāt, obsecrent, increpentq. in omni patientia & doctrina, atq. demonstrent ad hæc qui domum paratam, vel locum exhibent, qui tibijs, citharis, & fidibus vt desaltentur, fabulosæ inuentiones operam præstant; quod aliorum peccatis cooperentur, & delinquendi materiam præbeant, eos esse absolutionis beneficio indignissimos, vt fusius in monitis ad cōfessarios: ijs interesse posse neminem, quin solemnem emissam in Baptismo professionem abneget, qui Christo domino (vt D. Cypriani verbis vtar) *tanquam Diabolo non renunciet*. Hoc argumentum ex veteribus Ecclesię Patribus quamplures vetustate, ac sanctitate venerabiles egregie sunt prosecuti, vnde ad horū detestationem plura suppetere possint.

Hæc eadem omnia licet tot seculis facta, recepta à Populis, permissa à Magistratibus non possumus non acerrime insectari, & quod communia, eo seuerius punire. Corruperat etiam vniuersa caro viam suam Noemi diebus, cōmuneq. peccatum communibus aquis omnium demersione expiatum est. Propterea in domibus vilium personarum siue pretium interueniat, siue non, siue in proprijs domibus, siue in conductis semper omnino prohibentur, domino domus, siue conductori, præposito saltationum, & ludorum, siue chorearum ductori, quotquot extiterint, omnibus, & singulis pro qualibet vicè vigintiquinque aureorum pœna proposita: Sonatoribus aureorum decem, quam singuli persoluent: singuli præsentes siue saltantes, & ludentes, siue tantum spectantes pro qualibet vice trium aureorum pœnam non effugient.

Carneualia vero, seu festini qui fiunt in domibus honestarum personarum cuiuscunque gradus, status, & conditionis, quod ibi honeste omnia fieri credamus, nec vlla ex parte honestatis fines excedi, prohibentur tantum à primo Sabatho Aduentus vsq. ad Epiphaniam inclusiue; & à die Cinerum vsq. ad totam Octauam

Paschatis Resurrectionis propositis ijsdem quæ supra pœnis, quæ in Clericis in omnibus casibus duplicentur, in Sacerdotibus vero triplicentur.

Quæ publicæ ruri diebus Festis solent fieri choreæ, & saltationes vt tollantur quam maxime optamus, si minus ex inueterata morum corruptela tolli possunt, extra illius Parochialis Ecclesiæ limites, cuius dies festus agitur, & extra tēpus Diuinorum Officiorum, Concionis, & Doctrinæ Christianæ permittantur.

Hyemis tempore quæ passim fieri solent in stabulis rusticorum excubiæ promiscua marium, fœminarumq. turba, iuuenum concursu, & turpium verborum licentia, vt peccatorum occasiones tollantur, quæ inde cum grauissima Dei offensione consurgunt, Parrochi nunquam se satis operam suam præstitisse sciant, nisi omnino a suo Populo alienentur, vel saltem ita reformentur, vt inde omnis peccandi tollantur occasio.

Et ne sanctissimum Quadragesimale Ieiunium ante frangatur, quam inchoetur, tripudijsq. ac saltationibus, & alijs huiusmodi impijssime dedecoretur, Feria Tertia post Dominicam Quinquagesimę audita noctis hora Sexta tam in Ciuitate, quam etiam in omnibus Parochialibus per totam Diœcesim signum Campanis dabitur, eoq. dato à vetitis tempore Ieiuniorum cibis, & omnibus alijs omnino abstinebunt, choreisq. ac saltationibus, & alijs huius generis finem imponent. Secus qui fecerint, vltra Diuinam vltionem quam non effugient, per Curię Ministros deprehensi, vel alias ad Curiam nostram delati, vltra pœnas ante saltationibus impositas, alias etiam arbitrio nostro imponendas persoluent.

De Canonicis, Capitulo, Mansionarijs, alijsq. Cathedralis, & Collegiatarum Ministris.

Canonici in Ecclesia, vt in eminentiori gradu præ cęteris sunt constituti, sic etiam eorum institui debent actiones, vt cæteros omnes excitent exemplo, prudentia dirigant, moribus ædificent, religione perficiant, & tandem omnibus omnia facti ita præluceant, vt quicquid a reliquis ex eorum fuerit imitatione factum, ad summam deuenisse perfectionem suspiciant omnes, & admirentur, vt Canonicorum collegium sacrum se-

natum meritoq. quilibet appellare posSit, quod nos ficuti de fratribus nostris desiderare debemus, sic etiam maximopere cupimus, quocirca hæc illis obseruanda proponimus.

Cum de aliqua re in Capitulo agendum erit, in vno capitulo decernenda proponantur, in alio de illis deliberetur. In repentinis tractandorum schedula Notario exhibeatur, a quo proponenda Canonici excipere possint.

Capitularia negocia per secreta suffragia decernantur, alias nulla sint, & præsentes tantum vocem habeant, quam dent per se ipsos, & non per alium, nisi prout de iure, quicquid secus factum fuerit, irritum sit, & inane.

Nihil Capituli nomine scribatur, nisi fuerit à Capitulo decretum, & approbatum, & in libro descriptum, cui reddita responsio iungatur.

Omnia decreta, & determinata per Notarium in codicem referantur.

Secundum ordinem suę promotionis sedeant omnes, & suam dicant sententiam. Si quid decernendum, deliberandumve proponatur, quod ad aliquem ex collegio pertineat, illum, e capitulo vt exeat Præfectus moneat, non reuersurus, donec ea de re fuerit deliberatum, exire qui renuerit, compellatur.

Seruentur quoad reliqua Cōstitutiones Synodales bo. mem. Cardinalis de Valentibus prædecessoris nostri, pœnæq. in illis propositæ ad superiora nostra decreta extendantur.

Hæc omnia Synodi nostræ decreta Notarius Capitulo prælegere debeat quoties Capitulum, vt aliqua de re decernatur, vel deliberetur conuocari contigerit. aliter decreta, vel facta nullius roboris, & momenti esse intelligantur.

In spirituali Ecclesiæ regimine seruetur sacrum Concil. Trident. seSS. 24. cap. 12. de Ref. prope finem, ibi: *Cætera, quæ ad debitum, &c.*

Quo ad punctationes, & pœnas absentium, bo. me. Cardinalis de Valentibus prædecessoris nostri Cōstitutiones obseruentur.

In notandis ijs, qui ordinem suum in sedendo neglexerint, punctator Præfecti Chori officio fungatur.

Nullæ soluantur distributiones, nullaq. salaria nisi pro rata seruitij iuxta punctationes, & tunc habita Præfecti Chori fide, alias soluens de suo teneatur.

PArochus, & animarum curæ Præpositus venerabile quidem, & gloriosum est honoris, dignitatis, & auctoritatis nomen, maioribus etiam pastoribus, & summis commune. Cura tamen animarum etiam Angelicis humeris est formidanda. Curam namq. cum dicimus, animi attentionem, cogitationem, vigilantiam, assiduitatem, laborem, studium, & multo etiam his plura præ huius vocis amplitudine complectimur, vt proinde intelligamus omnes conatus, omnes labores, omnia studia, officia, consilia, omnem operam, industriã, sollicitudinem eo conferendam esse a Parochis, & animarum curæ præpositis, siue Pastoribus, vt inimicus, qui semper circuit quærens, quem deuoret, de manu eorum nullam rapiat, raptam recuperent, errantem reducant, & tandem deuiam dirigant in viam salutis, pro omnibus, & singulis Pastorum principi, animarum Redemptori rationem reddituri, qui durissimũ statuit iudicium iis, qui præsunt, qui sanguinem animarum curæ præpositis commissarum de manu eorum exactissime requiret. Hæc licet in officio vel alienissimos assidue continere, negligentes vehementer impellere, torpentes excitare quã maxime valeant; ne qua tamen sollicitudinis nostræ pars pro grege nobis credito vnquam desideretur, placuit hæc pauca diligenter obseruanda præscribere.

Puerorum, ac Puellarum, qui ad Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum suscipiendum apti sunt à Dominica Septuagesimę inchoandum, indicem Parochi faciant, vt opportune eorũ opera instructi ad tanti Sacramenti ingentes fructus percipiendos apti, & idonei reddantur.

Quo ad Missarum celebrationem Sacri Concilij Tridentini decreta sess. 22. incipiunt: *Quanta cura adhibenda sit, &c.* diligenter obseruentur.

Nullus onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiat absq. nostra, vel Vicarij nostri licentia in scriptis, & gratis concedenda, qui huius prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso ex Decretis Sacræ Congregationis de *Celebratione Missarum.*

Ab Ecclesijs capsulas cum inscriptione illa: Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, omnes omnino auferant sub eadem pęna, & alijs, vt in ijsdem Decretis.

Pecu-

in Pecuniæ, vel bona mobilia pro Anniuersarijs, aut alijs perpetuis Missarum oneribus acquisitæ, & bonorum mobilium pretium deponantur penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam; vt quam primum inuestiantur in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis.
Si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretiũ sub eadem pœna deponi, atq. in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atq. annexione cõuerti debeat. Hæc omnia ex eisdem Sacræ Congregatione decretis de *Celebratione Missarum S. D. N. D. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editis*; quæ ab omnibus legi, ac inuiolabiliter seruari præcipimus, & mandamus.
De decem libris Parochorum Conuentus decretum bon. mem. Reuerendiss. D. Monterentij seruetur.
Parochi diebus Festis ad Missas celebrandas, salua dispositione Constitutionis bo. me. Card. de Valentibus prędecessoris nostri, alio accedere nõ possint sub pęnã scutorum decem pro prima vice, pro secunda viginti, pro tertia vero suspensionis, à qua, nisi prius solutis dictis triginta scutis in manibus Episcopalis Curiæ depositarij, vt de illis in pios vsus arbitrio nostro disponatur, nullatenus absolui possint.
Semper ijdem residere teneantur, exceptis casibus à iure permissis, tunc autem per alium celebrare debebunt.
Quando infra octauam Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia Sancti Stephani Processio facienda est, Defunctorum Anniuersaria non celebrentur.
Parochi secundum veterem consuetudinem, modo in suis Ecclesijs legitimo non detineantur impedimento per nos, vel Vicarium nostrum approbando, Archipresbyteris suis omnino inseruire debebunt.

De Residentia.

ANimarum Pastoribus residendi obligationem ab initio nascentis Ecclesiæ vsq. ad hæc tempora infinitæ propemodum Beatorum Patrum Sanctiones, Canones Conciliorum, Summorumq. Pontificum Decreta semper annexam fuisse clarissime

tissime testantur, & nouissime Sacrosancti Concilij Tridentini auctoritate grauissima comprobatur. Omnium enim commu-nis hæc vox est: Residentia Pręsidentium salus est subditorum. Propterea sess. 6. cap. 2. de Ref. indulgentias, & dispensationes temporales ex veris, & rationabilibus causis tantum concessas coram Ordinario approbandas esse decernit, & sess. 23. cap. 1. de Ref. eadem repetens, quãdocunq. animarum Pastores abesse contigerit, vt causa prius per Episcopum cognita, & probata tanquam diuinorum præceptorum memores licentiam gratis concedendam obtineant, omnino præcipit, & mandat. His prædecessores nostri inhærentes, & ex imposito sibi officio hęc obseruare, & simul etiam omnium auribus, & mentibus insigi cupientes; vt imposterũ nulla temporum iniuria, aut hominũ obliuione, aut desuetudine abolerentur, & Pastores, sicut Apostolus præcipit, ministerium suũ implerent, & gregis sibi commissi custodiæ incumberent, opportunis remedijs vagandi relaxationes cohibendas esse statuerunt. Hinc bon. mem. Card. de Valentibus constitutio emanauit, quæ quantum ad retinendos in residendi officio Pastores valuerit, ipsimet in Nostra Visitatione grauissimo, & communi populorum testimonio comperimus. Verum quoniam propter ambitiosam multorum importunitatem eiusdem Constitutionis relaxatio potius, quam moderatio extorta fuit, quæ exigui temporis cursu non sine populorum scandalo, maximoq. gregis detrimento in abusum, & corruptelam ita degenerauit, accedente etiam vana quadam securitate, quod fori nostri Episcopalis ministri ad loca quędam, & quidem quamplurima accedere non possint, & quod Parochiani timore, vel reuerentia eorum Curatos errantes non deferant, quidam, post habito Dei timore non sine eius diuini cultus diminutione, & officij, propter quod beneficia cõferuntur omissione, sibi amplissimas vagandi licentias vsurparunt, ac si eorum pastoralibus beneficijs nulla vnquam residendi obligatio fuisset annexa. Propterea huiusmodi abusus, & corruptelas è medio tollere cupientes prædictam Constitutionem innouandam duximus, & ne vlla possit excusatio prætendi, ad verbum etiam hic eam inseri præcepimus, & mandauimus, videlicet. *Nemo Parochialem Ecclesiam deserere, ab illaq. abesse vltra vnam noctem singulo Mense sine licentia nostra, vel Vicarij nostri generalis præsumat, alioqui ipso facto suspensionem incurrat, nisi ex legitima causa*

causa abesse contigerit, quæ intra triduum nobis constare debebit per litteras, vel per se ipsos.

De Vita, & Honestate Clericorum.

HOnestas à sanctissimis Ecclesiæ Patribus multo ante nos cum sit facta propria Clericorum, hæc autem sit veluti flos, & visibile quoddam decus omnium virtutu, & honestum dicatur, quod rectum, laudabile, decorum, & populari fama gloriosum, inde merito in Clericorum vita omnium virtutum gloria apparere debet, vt illos intuentes vere agnoscant, Clericos ad eam partem, & sortem vocatos, vt a reliquo populo distincti soli domino regi virtutum, & gloriæ ita famulentur, vt de quolibet Clerico dicant singuli, dicant omnes, quis est hic? quis est hic? vnde tanta virtutum celsitudo, tanta sublimitas, tanta gloria? inde profecto, quia studijs, conuersatione, vita, fama non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. Id vt a summo omnium donorum largitore pro toto ordine nostro ennixe precamur, ita, quo facilius voti nostri compotes euadamus, hæc obseruanda mandamus.

Edictum alias publicatum ne Clerici arma deferant omnino seruetur.

M rcimonijs quocunque modo operam dantes vltra pęnam in Constitutione 15. bo. mem. Cardinalis de Valentibus prædecessoris nostri, animalia etiam amittant, quæ contractibus, & mercaturis distrahuntur.

Clerici ne per modicum quidem temporis vllum Laicorum officium exerceant, neue ad illud se deputari permittāt sub pęna scutorum quinquaginta arbitrio nostro applicandorum. In reliquis autem bo. me. Card. de Valentibus prædecessoris nostri vigesima secunda Constitutio in suo robore permaneat.

De Horis Canonicis.

CAnonicarum Horarum veneranda antiquitas & sacris, & profanis litteris maximopere commendatur. In ipsis gentium historijs, si Tertuliano credimus, leguntur cœtus antelucani *ad canendum Christo, & Deo, & ad confœderandam disciplinam.* Verum audiebatur in Choris primitiuæ Ecclesiæ non blanda,

blanda, & mollis, non flexionibus, & falsis voculis delicata melodia, neque contentione vocis, aut interuallis, & exclamationibus in cantilenas dissoluta; sed canebāt corde, canebant ore, canebant & opere, ornantes doctrinam moribus, fidem operibus, vitam miraculis. Ad hæc, vt ad nostram scripta doctrinam, etiam, atque etiam & hortamur, & obsecramus, vt loquentibus nobismet ipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, inde consurgat mentium illuminatio, corporum sanctificatio, a terrenis abstractio, cœlestis vitæ ratio, & institutum, ad Cęlum reductio, & tādem familiares Deo reddamur colloquio.

Iccirco, ne qua nos ab his impediat abstractio, dum Sacrosanctum Missæ sacrificium conficitur, diuinaq. celebrantur Officia sub excommunicationis pœna Laicorum nullus sacrarium ingrediatur, idq. vt omnibus innotescat ad Sacrarij Columnas appensa tabella omnibus intimetur.

Campana, qua conuocantur ad Matutinum per vnius horæ dimidium pulsari debeat, deinde parua mora interposita incipiatur.

Canonici omnes suę promotionis ordinem sedendo teneant, idemq. seruetur in thurificatione.

In Choro edictum alias publicatum, quod incipit, Vt Canonici, omnino seruetur.

Beatæ Marię Virginis, & Defunctorum Officium ex recepta consuetudine recitetur, & ab illis absentes punctentur.

Qui à Choro discesserit non expleta Beatæ Mariæ Virginis Antiphona, ac si illi Horæ non interfuisset, punctationem non effugiat.

Vltra duos dies à Diœcesi absq. licentia nostra Canonici abesse non possint.

Chori Præfecti alternis mensibus inseruiant, & alter alterius absentiam suppleat, vtroq. absente Decanus.

Chori præfectis Mansionarij obediant; quoties non obedierint, toties duorum iuliorum pœnam sustinebunt.

Mansionarij semper punctentur, & in soluendis eorum salarijs Camerarius quartam partem retineat non relaxandam, nisi per eumdem Camerarium, & Chori Præfectos punctationum rationibus subductis.

De

De Musicis, & Organo.

MEminerint Musici deuota sanctorum Patrum auctoritate sancitum, vt cantus, qui firmus dicitur, vere, & proprie Ecclesiasticus, integritas illibata permaneat, ne dum nouellæ scholæ discipuli temporibus mensurandis inuigilant, nouis notis intendunt, fingere suas, quam antiquas cantare malint, & deuotio quærenda dum contemnitur, lasciuia propaletur: si quid vero ex indulgentia permissum, id intra quosdam limites, quos egredi non licet, fuisse conclusum, vt octauæ, quintæ, quartę, & huiusmodi supra cãtum Ecclesiasticum simplicem proferantur. Verum quæ sponte corruit sensui alligata natura tot quorundam qui cantorum vice funguntur corruptelis impulsa eo deuenit, vt musicam Ecclesiasticam fere scęnicam, & theatralem reddiderit, propterea id profligare volentes, vt Sacrosancti Concilij Tridentini decreta de obseruandis, & vitandis in celebratione Missarum sess. 22. sæpius legantur, & exacte seruentur, districte pręcipimus, & mandamus.

Constitutiones Synodales bo. me. Cardinalis de Valentibus ædecessoris nostri innouantes inuiolate seruari mandamus,]. Pręfectis iniungimus, vt ipsi Musicos cantores in officontineant.

Clerici cantores nunquam obscęna cantent, neq. Ecclesiastica in voluptarijs Laicorum oblectationibus, & nuptijs vnquam adhibeant.

De pertinentibus ad Clericos, & Laicos.

QVi Diuina Prouidentia Pastores constituti sumus memores illius Apostoli Actorum 20: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo* Pro vniuerso grege nobis diuinitus commisso ita sollicitamur, vt ne momentum quidem nobis viuamus. Vobis viuit Episcopus, non sibi. Impositi estis super capita nostra, propterea omne crimen vestrum super Episcopum. Corrumpuntur mores, notantur Episcopi: periculum est, ne bono semini patris familias inimicus superseminet zizania, huc, illucq. discurrunt Episcopi: virtutes languent, insurgunt vitia, vt præualeant, resident Episcopi, & vigilant.

gilant. Vos quærunt Episcopi; innumeras vestra causa sustinent vigilias, angustias, præssuras, ærumnas, vos pariter ex eodem Apostolo ad Hebreos 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, vt cum gaudio hæc faciant*. Omnibus quę sollicitè prescribimus, ne qua pars officij nostri pro vobis desideretur, omnes libenter suscipite, hæc enim subditorum obedientia est susceptio mandatorum.

Nullus ob pecuniarum depositum etiam dotalium fructum percipiat.

A contractibus, in quibus propter expectatas solutiones rigorosum pretium exceditur, quod eos vsurarios declaremus, omnes omnino abstineant.

In rebus, quæ in suo genere functionem recipiunt, dum mutuantur, si quid vltra sortem accipitur, vsura est, & propterea ab his pariter abstinendum est.

Circa contractus, monita ad confessarios ab omnibus diligenter obseruentur.

De contractibus aperte vsurarijs, vel scienter implicite Notarius qui fuerit rogatus non absoluatur, nisi facta restitutione vel per fęneratorem, vel per Notarium prout de iure, &c.

De Bonis Ecclesiarum, & Piorum locorum.

AD conseruandum Christi Domini Nostri, & Pauperum eius patrimonium, licet sufficere videatur de illo iustam disponendi potestatem supremæ Summi Pontificis auctoritati commissam, & Clericorum fidei non dominium, sed fidelem tantum administrationem esse creditam, quia tamen hodie præ mala temporum qualitate solum illud videtur expositū, vt qui potest quovis quæsito colore in proprios vsus conuertere, conuertat, vsurpet, & propriæ salutis immemor ad æternam animę damnationem fraudibus, dolisve, ac adhibita vi rapiat, dissipet, ac disperdat; huiusmodi excessibus, si qui tamen reperiuntur, occurrere volentes, omnibus, & singulis animarum pastoribus, vt semel, & iterum in anno Sacrosancti Concilij Tridentini decretum sess. 22. cap. 11. in linguam vulgarem conuersum infra apponendum suo populo intra Missarum solemnia denuntient, districte præcipimus, & mandamus.

Beneficiorum Rectores Piorumq. locorum administratores

quorumcunq. etiam Montium Pietatis bonorum omnium mobilium, & immobilium inuentarium conficiant; & immobilium quidem facta mensuratione, positis cõfinijs, si quę desunt, & possint apponi; seu iam positis recognitis, vocatisq. vicinis, & hæc omnia infra annum. Horum omnium inuentarium in forma probanti Cancellario nostro exhibebunt in Cancellaria nostra perpetuo conseruandum.

Piorum locorum administratores antequam eorũ suscipiant administrationem, de bene administrando, reddendisq. dati, & accepti rationibus idoneam præstent fideiussionem, & coram Vicario nostro iusiurandum emittant, alias nullatenus admittantur. Secus si factum fuerit omnia per ipsos facta irrita sint, & inania, priuationisq. officij, & scutorum quinquaginta pœnam ipso facto incurrant.

Omnia legata, & onera Pijs locis, vel Confraternitatibus imposita in termino quindecim dierum in codicem per publicum Notarium subscribendum referantur, qui in Cancellariam Episcopalem nostram perpetuo conseruandus deferatur.

Eorumdem legatorum, & onerum notula fiat in loco patenti collocanda, vt ab omnibus conspici, & commode legi possit.

In eosdem honestos vsus, ad quos Piorum locorum bona destinata fuerunt, omnino conuertantur.

Si quæ de rebus grauibus faciendæ sunt deliberationes præsente Parocho per vota secreta fiant, & singuli pręsentes singula vota præbeant, quicquid aliter fuerit factum omni robore, & firmitate careat.

Occasione Festorum inter deputatos, & officiales, aut alios quoscumq. nullę fiant commessationes, compotationesve, cum sine peccato fieri non possint, indeq. resurgat restitutionis obligatio.

Nullus Beneficiatus vel administrator arbores fructiferas, vel cui vites annexæ sint incidere possit absq. nostra, vel Vicarij nostri licentia, ne in grauissimas sacrarum Constitutionum pœnas incidat.

Vbi Pauperes hospicio recipiuntur, an fuerint confessi interrogentur, & ad peccatorum maculas sacra Confessione diluendas humanissime perducãtur, quoad reliqua bo. me Cardinalis de Valentibus prędecessoris nostri Constitutiones obseruentur.

Vbi infirmi recipiuntur in primo ingressus die confiteantur,

tum sacra Eucharistia reficiantur, morbo ingrauescente sæpius reconcilientur, sacrum illis Viaticum cum fuerit opus, & extrema Vnctio ministretur: in eorum dormitorio diu noctuq. custos commoretur, qui præsto sit ad omnia, propriumq. Capellanum, vel Parochũ aduocet opportune, vt animam è corpore exituram Deo commendet. Si quis Capellani culpa non sanctissimis Sacramentis munitus è viuis excesserit ad arbitrium nostrum à Diuinis sit ipso facto suspensus. Parochus vltra deputatos eadem loca frequenter visitare, & si quæ depręhenderit correctione digna, nos admonere teneatur, &c.

Vt autem præsto sint, quibus locorum Piorum dati, & accepti rationes examinandę committi possint, & administratorum eorumdem liberationes, aliqui viri rerum vsu periti à nobis nominandi eligentur, ex quibus Cõgregatio instituatur. Hos autem quantum in domino possumus etiam, atq. etiam hortamur, vt pro eorumdem locorum indemnitate, fideliumq. ædificatione hunc laborem à Deo Optimo Maximo amplissimam mercedem accepturi non recusent, &c.

De Baptismo.

CVm ob Diœcesis amplitudinem magnus infantium expositorum numerus vndiq. ad Hospitale, quod Domus Dei dicitur quotidie deferatur, aliquando autem dubitare contingat, sintne aliqui illorum Baptizati necne, hæc præscribenda duximus.

Cum primum infans delatus fuerit, re diligenter perquisita, si dubitetur adhuc, an fuerit recte Baptizatus, cum adiunctione Baptizetur, vt in Catechismo num. 57.

Pueris infantibus propter ętatis imbecillitatem, cum infinita pene pericula semper immineant, qui expositos deferunt, illos nõ deferant, donec viderint ab ijs, ad quos pertinet, illos esse receptos, & in tuto collocatos. Vt autem nulla alicuius periculi suspicio delatores impediat, quominus ad hoc debitam adhibeant diligentiam, vt nullatenus inquirantur, neue vlla molestia afficiantur, præcipimus, & mandamus.

Vbicumq. Hospitalium curæ Præpositi statim ac audierint infantis expositi signum dari, etiam media nocte, & intempesta, nulla interposita mora illum excipiant, lactari curent, Parochumq.

chumq. admoneant, vt quę pro infantis tum spirituali tum corporali necessitate peragenda iudicauerit, confestim executioni demandentur. Si autem Parochus ipse infantem baptizauerit, de administrato Baptismo testimoniales litteras mittat manu propria scriptas, & subscriptas provt in libro Baptismali idem ipse descripserit.

Quæ faciendæ erunt expensæ pro cibo, ac in itinere delatione, hæ per hospitalis præpositos vt fiant, etiam auctoritate nostra interposita, Parochus omnino curabit. Hęc omnia populi pastores in anno sæpius publicabunt, vt quantum fieri pote huiusmodi infantium expositorum saluti consulatur.

De Confirmatione.

CLericis tam Secularibus, quam Regularibus ne Baptizandos, vel Confirmandos absq. nostra licentia suscipiant, omnino prohibemus.

Qui suscepit aliquem de Sacro Fonte, illum eumdem ne suscipiat in Confirmatione, nisi aliter suadeat magna necessitas.

In hoc Sacramento susceptor nullo modo esse debet Pater, Mater, Vitricus, Nouerca, Frater, Soror, proprius Parochus, nec Maritus, nec Vxor.

Parochus aliquot ante diebus, quam Confirmatio administretur intra Missarum solemnia populum admoneat de Sacramenti huius administrandi tempore, vt si qui sunt, qui suscipere velint admoniti ad illud rite, & religiose suscipiendum præparare se possint pro vt in bo. me. Cardinalis de Valentibus prędecessoris nostri Synodalibus Constitutionibus, curabitq. vt in Ecclesia pro confirmandis fiat oratio, vt adiuuante Deo, nullo opposito impedimẽto per hoc sacramentum vberrimos gratiæ fructus percipiant, tandem, vt etiam exterior erga tantum sacramentum debitus cultus exhibeatur, præcipiet, vt caput lauent, vel alio modo mundent, capillosq. sibi tonderi curent.

Die ab Illustriss. Episcopo præscripta Parochus ipse superpelliceo, & stola indutus Cruce præcedente suos deducat, illos nominatos, & mares à fœminis distinctos offeret sine vllo strepitu & vociferatione confirmandos.

Si quis turpe, ridiculumve nomen, minusq. homini Christiano conueniens habere depræhendetur, illud nobis significet, vt

in confirmationis Sacramento illi, alicuius, qui veræ pietatis ac religionis laude floruerit, nomē imponatur, cuius mores imitetur, patrocinio adiuuetur, ac sancto suscepto nomine vitæ quoq. sanctimoniam sectari, ac demum illius, quem fuerit nomine & re imitatus, fœlicem exitum consequi mereatur.

De sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

IN Cathedrali, & Collegiatis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conseruetur fidelibus singulis quibusq. Festis diebus administrandum, & frequentius etiam, vt tempore ieiuniorū, & quando publicę fiunt supplicationes, & quoties adhoc illud exponi mandabitur: tempore vero Paschali per totā octauam in Cathedrali Peregrinis, quorum nomina, cognomina, patiamq. in Libro, qui perpetuo conseruetur Sacerdos huic administrationi prępositus diligentissime describet, vt, si quando fuerit opus, petentibus inde testimoniales litteræ fieri possint.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ex Pixide semper, & nunquam super Patenam, ad euitanda quę accidere possunt inconuenientia, & Clericis primum superpelliceo indutis, & stola si fuerint Sacerdotes, deinde Laicis, & viris à mulieribus distinctis, si fieri potest, incipiendo à cornu Epistolæ, prębeatur. Purificatio à Clerico, vbi commode potest, vel ab aliquo Societatis Sanctissimi Sacramenti, qui sit prouectæ ætatis, & societatis habitu indutus porrigatur.

De Processione Sanctissimi Sacramenti.

ANtequam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in solemni supplicatione deferatur, tam in die eius festo, quam etiam infra octauam Populus admoneatur, vt omnes omnino immunditias à vijs, per quas incedendum erit amoueat, easq. pro viribus ornet, nullas tamen sacras historias personarum inductione, quæ supplicationem sequantur, aut certis in locis consistant Parochi, nullave spectacula, aut sacra mysteria exhiberi, nisi habita à nobis, vel Vicario nostro facultate permittent, ne spectatores ad oblectationem potius, & risum, quam ad religiosum sacris rebus debitum cultum excitentur.

Nulla profana instrumenta, nullæ profanę imagines, & multo minus lasciuæ, & obscœnæ exponantur.

Quotiescumq. sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum est deferendum etiam ad infirmos, capite detecto semper deferatur, sicut etiam vmbraculum, seu baldachinum, & funalia deferentes, & alij tam præcedentes, quam subsequentes capite detecto incedere debent.

Bellica tormenta etiam manualia neq. versus populum, neq. versus Ecclesiam, & multo minus intra Ecclesiam explodantur, ne fulminum instar flammis eluctantibus suo fragore supplicationibus intentos distrahant, neue ictu, ac sulphurei pulueris tetro illo odore offendant.

Cum ad Infirmos sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deferendum est, prius an aliquo detineantur impedimento, quo minus recipere illud possint, vel an aliquod irreuerentiæ periculum immineat, Parochus diligenter exquiret, ne quid tanto Sacramento indignum ipsius incuria contingat. Legitimo detentus impedimento per alium ad Confessiones audiẽdas approbatum mittat, nisi alius adsit, qui infirmum, si id postulet necessitas, Deo per Sacramentum pœnitentiæ reconciliare possit.

De Processionibus in communi.

TAm in Processione Sanctissimi Sacramenti, quam etiam in omnibus alijs, quęcumq. illæ sint, in quibus vel sacrę Imagines, vel sanctorum Reliquiæ deferantur, immediate post Capituli, & Canonicorum Crucem sacra sequatur Imago, vel sanctorum Reliquię. Inter Crucem Capituli, & sacram Imaginem, vel Reliquias deferendas nulli incedant, nisi re ipsa necessario aliquo fungantur officio, vt Ceroferarij, Thuriferarij ve, alij si qui fuerint etiam Sacerdotes superpelliceo, & stola, vel etiam Pluuiale induti hinc inde à lateribus sacram Imaginem, vel sanctorum Reliquias comitentur. Omnes Cruces, Vexilla, Confraternitatumq. insignia inter Laicorum Societates suo loco consistant, & omnia, quæ in Cæremoniali Clementis VIII. fel. record. lib. 2. cap. 32. & 33. & in nouo Rituali de Processionibus præscribuntur, ab omnibus exactissime seruentur.

Societatum Laicorum, seu Confraternitatum neq. Sacerdotes, neq. Clerici habitum induant, neq. alio modo cum illis in

supplicationibus, seu Processionibus, & Funeralibus incedant, sed a Laicis distincti cum alijs Clericis superpelliceo induti supplicationibus, seu funeralibus inuitati interesse debebunt, &c.

Omnia Societatum statuta, regulæ, constitutiones, &c. intra duos Menses in Cancellariam nostram deferantur, vt si quæ correctione indigent, vel reformatione, ijs remedia adhibeātur.

De sanctissimo Missæ sacrificium.

PRo Defunctis nullæ Missæ votiuæ diebus Dominicis, alijsq; Festis duplicibus prout in rubricis præscribitur, a Dominica vero Palmarum vsq. ad octauam Paschæ, & à festo Pentecostes vsq. ad festum sanctissimæ Trinitatis, non modo anniuersaria, vt alias mandatum fuit, sed nec etiam votiuę Defunctorum Missæ celebrentur.

Prædecessorum quoq. nostrorum vestigijs inhærendo, cum ab ipsis Decretum fuerit, vt ordinum minorum functiones ab ijs tantum, qui in huiusmodi ordinibus cōstituti sint exerceantur, omnino præcipimus, vt Clerici, qui Missæ sacrificio in Cathedrali, Collegiatisq. ministrant, in minoribus ordinibus, aut in prima tonsura constituti sint, vel si haberi non possunt, veste talari saltem decenti, superpelliceoq. mundo sint induti, & quo ad Clericos nostræ Cathedralis omnia omnino, quæ in noua tabella præscripsimus diligenter obseruentur sub pœna scutorum quatuor à Sacristis persoluenda, quoties Vicarium nostrum de huiusmodi transgressionibus non admonuerint.

De Pœnitentię Sacramento Monita ad Confessarios.

SAnctissimi Pœnitentiæ sacramenti post peccatum necessitatem si consideramus, maxima est, cum extra illam nulla fiat peccatorum condonatio: vtilitatem vero si spectamus, tanta, vt quicquid hoc tēpore in Ecclesia summo Dei beneficio conseruatum est, magna ex parte huic vni tribuendum esse videatur. Propterea nulli mirandum est, si, humani generis hostis cum Fidem Catholicam funditus euertere cogitat, per impietatis suæ ministros, & satellites hanc veluti Christianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare cogatur. Hęc enim dum delinquendi cupiditatī, & licentiæ fręnos inijcit, improbitatemq.

coercet,

coerceet, humanæ vitæ societatem, publicamq. honestatem conseruat; ad emendandos mores tutissimũ præbet adiumentum, & tandem vi clauium condonatis sceleribus etiam grauissimis certissimum aditum ad Cœlum aperit. Tantum munus Dei iussu necessarium, & maxima vtilitate vberrimum fidelibus vt Sacerdotes digne, & salutariter impertiri possint, hæc monita præscribenda duximus.

1 Vt extra Ecclesiam nullius mulieris Confessionem excipiant, nec pueri aut adolescentis minoris decem & octo annorum, nisi aliud suadeat necessitas, & si mulieres domi infirmitatis causa audiendæ sint, id ita fiat, vt videri quidem possint ab alijs, non tamen audiri.

2 Mulierum Confessiones, & etiam puerorum à decimo anno, vsquè ad decimum octauum audiantur in sede Confessaria semper iuxta formam alias præscriptam, quæ sit in loco patenti, & omnium conspectui opposito, & non ante, sed à latere, ita vt inter Sacerdotem, & pœnitentem tabula interponatur cum fenestella, cui lamina ferrea sit affixa exiguis foraminibus plena, & ab Oriente Sole, vsq. ad Occidentem, qui extra sedem Confessariam, vel in sede quidem sed non ad formã mulierum, & puerorum Confessiones exceperit, tandiu ab audiendis Confessionibus ipso facto sit suspensus, quandiu nobis videbitur. Verum si mulier aliqua surditate ita impediretur, vt nullatenus in sede Confessaria posset audiri, tunc Parochi remittimus arbitrio, vt modo commodiori, ac honestiori eam audiat.

3 Dum Confessiones audiunt, etiam Infirmorum superpelliceo cum stola semper vtantur.

4 In principio Sacerdos benignum se, ac perhumanum exhibeat, neq. vllo signo, aut nutu se peccatorum fœditate offendi, illamve abhorrere demonstret, vt pœnitentibus accusandi omnia etiam grauissima fiduciam præbeat. Peracta Confessione instar Samaritani illius Euangelici vinum, & oleum infundat, humanitatem seueritate permixtam adhibeat, ne grauissimas Dei offensiones parui facere videatur. Consideret tamen quod D. Chrisostomus prudẽtissime admonet in cap. *Alligant 26. q. 6.*

5 Si consuetum Confessarium absq. legitima causa ab aliquo mutari compererit, illum edoceat de vtilitate, quæ insurgit ex pij, & docti Confessarij electione, cui semper confiteatur.

6 An ab alio fuerit negato absolutionis beneficio dimissus,

 pœni-

pœnitentem interroget, & causam inquirat, quæ si legitima fuerit, ad eumdem Confessarium pœnitentem remittat, alias ex sacrorum Canonum dispositione se gerat.

7 Inquirat ante Confessionem, an pœnitens aliquod habeat impedimentum, quominus possit absolui, & si deprehendat aliquo detineri, mittat ad eum, qui habet facultatem, vel si eum mittere non expediat, ipsemet Cōfessarius facultatem impetret. Si non sanctissimæ Inquisitionis edicto paruit in ijs denuntiandis, qui septem illis capitibus continentur, prout in edicto, antequam illum audiat, curet vt satisfaciat; Si vero à die notitiæ illorum qui denuntiandi sunt lapsus est terminus in edicto præfixus, admoneat de petenda prius absolutione ab excommunicatione, quâ ligatus existit ob contumaciam Reuerendiss. Patri Inquisitori reseruata.

8 Rudes prius interrogentur an sciant necessaria, & ignorantes instruantur, & si alias promiserunt, se daturos operam, vt discerent, & neglexerunt, non admittantur, nisi aliter ex iusta causa Cōfessario videatur, quod pariter fiat cum patribus familias, qui non curant, vt filij, & domestici ad salutem necessaria discant, illos ad scholas Doctrinæ Christianæ non mittentes.

9 Qui remedia præseruatiua recusant, non absoluantur.

10 Qui non dimiserunt proximas, seu propinquas peccandi occasiones, quæ vel peccata sunt, vel absolute ad peccatum inducunt, nisi illis re ipsa dimissis, non absoluantur. In alijs autem occasionibus, quæ euidens peccandi periculum præbent non absoluantur nisi serio promittant se illas dimissuros; & licet etiam promittant, si alias promiserunt, promissis q. nō steterunt, differatur absolutio donec aliqua videatur emendatio. Quoniam vero contingere potest aliquando, vt pœnitens occasionem, quæ adhuc est in esse, dimittere non possit absq. periculo, vel scandalo, differatur absolutio donec signum aliquod emendationis in eo videatur. At si absolutio absq. aliqua pœnitentis infamia differri non possit, signaq. talia contritionis exhibeat, eamq. animi promptitudinem, vt dignus iudicetur cui absolutionis beneficium cōcedatur, ea præbeat Confessarius remedia, quæ opportuna iudicabit, vt, exempli gratia, nunquam sit solus cum sola, orationes assignet, aliquas carnis macerationes, & quod omnium vtilissimum est, frequentes Confessiones, & absoluat. Postquam hęc adhibita fuerit diligētia, nec vlla appareat emen-
datio

datio, nullo modo absoluatur, nisi occasionem à se relecerit.

11 Aduertant insuper Confessarij esse quædam exercitia, & operationes, quę nullam habent annexam necessitatem, vel vtilitatem quorum occasiones licet ex natura sua ad mortale peccatum non inducant, neq. ab omnibus declinandæ sint, quia tamen ad malum inducunt, & homines ad mortifera scelera alliciunt, vt choreę, & saltationes, à quibus diligenter cauendum esse docet Catechis. in 6. Præcepto num. 11. vt versari cum blasphemantibus, malorum vti societatibus, tabernas, hospicia, diuersoria, seu cauponas frequētare, & compotationes, in ocio viuere, & similibus: Propterea qui istorum occasione solet mortaliter peccare absolutionis beneficio gaudere non debet, nisi prius omnino dimittat, aut saltem promittat huiusmodi occasiones inposterum se re ipsa dimissurum. Verum si vltra secundam vicem promissis non steterit, differat Confessarius absolutionem, donec re ipsa viderit pœnitentem exiisse ab occasione.

12 Qui contractus manifeste illicitos faciunt, nisi prius illos rescindant, & lęsis re ipsa satisfaciant, careant absolutione. Si vero sit dubius cōtractus facta promissione de stando decisioni, poterunt absolui, Confessariusq. interim eius decisionem procurabit.

13 Quod attinet ad Sacerdotum Confessiones, caueant omnino, ne pro sacramentali Confessione sibi similes, eodem, quo & ipsi morbo infectos alios eligant, vt puta concubinarij concubinarios, &c. vt se inuicem absoluant, vel a reseruatis se absoluendi facultatem vicissim petant, & procurent: hinc enim efficitur, vt in eiusmodi statu vsquè ad vltimum vitę terminum aliquando insordescant, propterea id omnino prohibemus, sicuti etiam ne quis complicem in sacramentali Confessione audiat, cum id etiam alibi sub excommunicationis pœna prohibeatur.

14 Caueant insuper ne, vt ipsi à reseruatis absoluantur facultatem petentes pro alio postulare se fingant, sic enim obtenta non videtur valere, cum dolus det causam concessioni.

15 Ne sibi concessę facultatis limites excedant. Bullam in Cœna Domini, & Casuum Reseruatorum tabellam, & hęc monita apud se habeant, eaq. omnia frequenter, & attente legant.

Bullæ contra sollicitantes in Confessionibus breuis explicatio.

CVm Gregorius fęl. mem. XV. mandet omnibus Confessarijs, vt suos pęnitentes quos nouerint ab alijs ad inhonesta sollicitatos, vt infra exponetur, moneant de obligatione denunciandi Inquisitoribus, seu Ordinarijs locorũ sollicitantes, & insuper etiam, cum iureiurãdo promiserint se id seruaturos, quod nam sit Confessariorũ officium in huiusmodi excessibus, & quid in eiusmodi Bulla contineatur paucissimis exponendu duximus.

Officium Confessariorum non est pœnitentem interrogare, sed confitentem audire, & illius Confessionem excipere, si tamen contingat aliquid ex necessarijs per confitentem omitti, tunc insurgit cum ipso audiendi officio coniuncta interrogandi obligatio. Infideliter enim agerent si aliquid ex ignorantia tacitum prætermitti viderent, & non inquirerent. Si igitur nouerint suos pœnitentes siue fęminas, siue mares tam ex se confitentes, quam interrogatos respondentes ad actus inhonestos se à Sacerdotibus Confessarijs in sacramentali Confessione, vel alias, vt infra, fuisse sollicitatos, vel prouocatos, vel cum illis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habitos, debent illos admonere, vt huiusmodi sollicitantes, quicumq. illi sint, denuntient Inquisitoribus, vel Ordinarijs. Quod si huiusmodi officium prætermiserint, vel docuerint pœnitentes non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes de inhonestis, ijdem locorum Ordinarij, vel Inquisitores pro modo culpæ illos punire debent. Præcipua vero Constitutionis Gregorianæ capita sunt, quæ sequuntur.

Primum. Materia, circa quam versatur hæc Constitutio, illam prohibens sunt inhonesta, hoc est venerea, &c.

2 Actus prohibiti, nempe ad venerea sollicitare, prouocare, de ijs sermonem habere, siue tractatus omni, & quocũq. modo, qui ab humana malitia fingi, & excogitari possit.

3 Personæ, quæ compręhenduntur, & sunt: Sacerdos Confessarius sollicitans quicumq. ille sit, tam Secularis, quam Regularis, quacumq. præditus dignitate, vel pręeminentia: pęnitens quicumq. ille sit, verus, vel fictus, & etiam simulatus sollicitatus, siue mas siue fęmina, &c.

4 Pęna,

4 Pęna, vt sollicitans debeat à sollicitato, & prouocato pęnitente denuntiari Inquisitoribus, vel Ordinarijs, vnde si irrationabiliter detrectet, & renuat denunciare pęnitens mortaliter peccat, & vt absolutionis incapax dimittendus est, vt tandem resipiscens obediat, & Sacerdos pęnitentes non admonens de hac denunciandi obligatione, vel docens sollicitantes non esse denunciandos, ab Inquisitoribus, vel Ordinarijs pro modo culpæ puniatur.

5 Finis. Ne Sacerdos ad sacras Confessiones audiendas deputatus sacrosancto Pęnitentiæ sacramento abutatur, & ne ex cęlesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarũ reddatur, hæc de ipsius Constitutionis capitibus. Qui sequuntur Casus apponuntur, vt facilius in ijs, quę contingere possunt, ac certius ipsimet Confessarij dirigantur.

1 Pęnitentes moniti, nisi prius denunciando paruerint, nullatenus absoluendi erunt. Si vero per literas denunciauerint cum expressione, & subscriptione proprij nominis, vt etiam indicatur in edicto sanctissimæ Inquisitionis iux. cap. *Dilectus de accusat.* id sufficiet: non tenebuntur tamen suũ reuelare consensum, si forte præstiterint, suamq. detegere turpitudinem, nec poterunt de illo interrogari, nec, si imprudentes detexerint, scriptis excipietur.

2 Si, quod suum consensum præstiterit pęnitens, vt denuntiet nulla possit induci ratione, poterit Ordinarius, vel Inquisitor concedere Confessario facultatem, vt pęnitentis dictum scriptis excipiat medio eius iuramento, vt illud statim ad illum deferat, à quo facultatem obtinuerit. Si quid aliud grauius acciderit, quominus ad denunciandum pęnitens adduci possit, dilata absolutione, & saluo sacro sigillo, erit consulenda Sacr. Congregatio, vel adeundus Inquisitor, aut Ordinarius, qui consulat expectando responsionem hęc ex litteris Sacrę Congregationis, &c.

3 Siue fuerit sollicitatio, aut tractatus habitus directe, vel indirecte, tacitis, & occultis verbis, vel nutibus, etiam in dubio, etiamsi delictum fuerit perpetratum ante Constitut. Pij IV. & Gregorij XV. eadem denunciandi obligatio pęnitenti est imponenda fauore fidei, & ad publicam vtilitatem.

4 Siue sollicitatio, prouocatio, tractatus, &c. fuerit in actu sacramentalis Confessionis, vel ante ipsam, vel post immediate & prope, etiamsi statim sollicitantem pœnituerit, dolorem

conce-

conceperit, & se emendatum esse dixerit.

5 Etiamsi extra Confessionem sollicitatio, prouocatio, &c. contigerit, eo quod nulla fuerit Confessio secuta, modo tamen id commissum fuerit occasione & prætextu Confessionis.

6 Etiamsi extra occasionem Confessionem, & prætextum, modo in Confessionario, aut in loco, in quo sacramētales Confessiones audiuntur, quicumq. ille sit, etiam si tunc eligeretur locus, in quo simularetur Confessio. In his omnibus, & singulis denunciandi obligatio imponenda est pęnitenti, nec anteabsoluendus est (nisi aliud cogat necessitas) quam sanctissimę huic Constitutioni paruerit.

Casus, quorum absolutionem Illustriß. ac Reuerendiß. D. D. Franciscus Tit. S. Marcelli S.R.E. Presb. Cardinalis Dei, & Apostolicę sedis gratia Episc. Fauent. sibi, suoq in spiritualibus Vicario Generali reseruauit.

1 DOemones inuocantes, vel adorantes: maleficium, & quaslibet superstitionum species cum Sacramentorum, aut Sacramentalium abusu committentes, dummodo error non sit in intellectu, quia tunc est Casus reseruatus in Bulla Cœnæ Domini.

2 Superstitionum artem ex professo exercentes.

3 Blaspemias hæreticales ex consuetudine proferentes.

4 Homicidium voluntarium præmeditatum, seu deliberatum committentes, item mandantes, aut consilium dantes effectu subsecuto.

5 Abortum procurantes effectu subsecuto, etiam fętu nondum animato.

6 Viri in primo, & secundo consanguinitatis, vel etiam in primo affinitatis gradu incęstum committentes.

7 Sodomiam actiue committentes etiam actu non consumato in fraudem reseruationis præsentis casus.

8 Solicitantes Moniales, siue seculares Puellas in Monasterijs existentes verbis, seu per litteras, aut internuntios ad obscęnitates, vel grauiora crimina cum eisdem patrantes.

9 Infantes locis Pijs exponentes, vel exponi facientes, cum habeant vnde ipsos alere possint.

De

AD sacram Ordinationem aliunde, quam ex nostra Ciuitate, & Diœcesi accessuri tam seculares, quam regulares proprij Episcopi, vel Superiorum suorum testimoniales litteras afferant, in quibus de vitæ, & morum probitate, de sufficienti litteratura, de ordine proxime suscepto. de natalibus, aut dispensatione super illis habita, si quam obtinuerint, & si ad sacros Ordines promoueri cupiunt, insuper de ætate, & titulo sufficienti clarissime constet. Regulares vero (exceptis Clericis Societatis Iesu) doceant de emissa professione iuxta Constitutionem Pij Quinti, quæ incipit *Romanus Pontifex sacrorum, &c.* in Bullario tom. 2. f. 272. iuratiq. in testimonialibus litteris scripto propria manu subscripto coram nobis se sponte professionem emisisse, & illam ratam habuisse confirment, & in Cancellaria nostra perpetuo conseruentur.

Vt exacte à sacro Concilio sess. 23. c. 11. præscripta seruentur, erroriq. ac fraudibus occurratur testimoniales exterorum litteræ, si duobus ante ordinationem mensibus ad summum fuerint datæ, vel confirmatæ suum habeant effectum, vetustiores nullatenus admittantur, nisi loci distantia, diuturna a suo Superiore absentia, vel alia legitima causa iudicio nostro comprobanda vetustiores litteras suaserit admittendas. Litterarum, quas à Parocho, magistris, & alijs nostri afferent, tempus quindecim dierum data non excedat. Dimissoriæ vel testimoniales litteræ ad alios Episcopos pro nostris ad ordines promouendis, cum sacras ordinationes non habemus, non dentur absq. necessaria causa, nec antequam sacræ ordinationis tempus instet, in illisq. suscipiendi ordinis tempus pro loci distantia, vel alia causa præfiniatur, & regulariter non dentur vltra sex menses, nisi distantia, vel alia legitima causa aliud suadeat, eo tempore elapso nullæ declarentur.

Cum nullus initiari debeat, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, vel necessarius suis Ecclesijs ex sacro Cōcilio sess 23. c. 16. & ijs, qui non vocati à Deo tanquam Aaron, nec à legitimis Ecclesiæ ministris, sed sua ducti cupiditate se ipsos arroganter ingerunt, atque intrudunt, nihil infelicius, ac miserius, nihil Ecclesiæ Dei calamitosius esse possit, propterea qui misera suffragia mendicare non erubescunt, qui multis, & ambitiosis preci-

bus

bus per se, vel per alios, conquisitisq. vndiq. commendatitijs litteris accedunt, se grauiter Deum offendere sciant, & propterea mereri, vt per Superiores à petitis repellantur. Artibus ijsdem ad beneficia, tanquam ad brauium qui currunt, pręcurrunt, concurrunt, & qui etiam multo à longe, sicuti vultures cadauera, præsentiunt vacationes, easq. præripiunt, vt superbi, quod se præ cæteris oppositoribus digniores existiment, vt iniusti, quod plus honoris, aut potestatis sibi tribui velint quam mereantur, nec simoniæ periculo, & suspicione careant ex D. Carolo, non solum à beneficijs, sed etiam ab ipso concursu essent excludendi.

Ne in testimonialibus litteris quicquam desit necessarium, quo a b ordinibus suscipiendis impediatur, vel retardentur, formulas typis editas habeant ordinandi omnes, quibus illi, quorum interest, quæ desunt addent, sigilloq. suo munitas ad nos transmittent, &c. Illud tamen quam maxime considerandum est, an vere de ijs, qui ordinandi sunt hæ testimonialium litterarum formulæ fieri possint, & propterea contra veritatem ne fiant proposita suspensionis pœna ipso facto incurrenda, omnino prohibemus.

De Beneficiorum Collatione.

VT simoniaca labes omnis, eiusq. suspicio in conferendis Beneficijs absit, omnibusq. fraudibus, & animarum laqueis occurratur, statuimus, vt quicumque ad aliquod Ecclesiasticum beneficium nominatus fuerit, pręsentatus, vel electus, antequam admittatur, vel instituatur in manibus nostris iuramentum emittat in hanc formam.

Ego .N. prouisus de Ecclesia .N. (si Ecclesia in titulum collata fuerit) seu de Beneficio .N. (si Beneficium collatum in Altari consistat) iuro futurum me fidelem, & obedientem Sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Illustriss. ac Reuerendiss. Episcopo Fauentino præsenti, & cuicumque eius legitimo successori. Neq. me de bonis Ecclesiæ prædictæ (seu Beneficij prædicti) vel de eius fructibus, aut super eis pacta aliqua illicita cum vllo prorsus iniuisse. Iuro item de bonis eiusdem Ecclesiæ, vel Beneficij tam mobilibus, quam immobilibus inuentarium, quam primum potero, me facturum, & intra duos Menses

ses Ordinario exhibiturum. Possessiones, & bona ad ipsam Ecclesiam, seu Beneficium pertinentes, & pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quouis modo contra iuris dispositionem alienaturum. Immo alienata pro meis viribus recuperaturum, & Ecclesiæ, vel Beneficij iura defensurum (si Ecclesia, vel Beneficium requirit residentiam addatur) & Ecclesiæ ipsi, vel Beneficio per me deseruiturum, & ad eam, vel ad illud assiduam residentiam facturum. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Verum si prouisio virtute electionis, vel præsentationis facta fuerit, seruetur forma, quæ sequitur.

Ego. N. nominatus, & præsentatus, vel electus ad Beneficium. N. vel Ecclesiam. N. iuro me Beneficij, vel Ecclesiæ obtinendæ gratia, neq. quemquam nomine meo sciente me, quicquam Patrono, seu cuiquam alij ea de causa promisisse, aut dedisse, vel compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse, vel quicquam quocumque modo debitum remisisse, aut relaxasse. Nec de domibus, terris, prædijs, redditibus Ecclesiæ, seu Beneficij, nec de fructibus, decimis, seu oblationibus eiusdem Beneficij præsentibus, & futuris donationem, remissionem, locationem fecisse, promisisse, aut inuisse. iuroq. me futurum fidelem, & obedientem, &c. vt supra.

Prouiso de Beneficio si aliqua oriatur vexatio nulla ratione liceat, neq. etiam in casibus à iure permissis, se à vexatione redimere absq. auctoritate nostra, qui re diligenter examinata quod iuri, & æquitati consentaneum videbitur decernemus, & admittemus.

His, quæ à bo. me. Cardinali de Valentibus prædecessori nostro sanctissime adhortando præscribuntur: *ne quis videlicet honoris, diuitiarum, aut commodi temporalis gratia ad ordines suscipiendos accedat* inhærendo addimus: ista sibi tanquam finem si quis constituat, esse maximum sacrilegium, & in foro conscientiæ, & coram Deo, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, hunc esse Simonem. Quod si manifestis argumentis ostenderit aliquod munus datum, vel promissum à manu, à linguas, ab obsequio, in foro Ecclesiæ censuris in simoniacos inflictis omnino ligabitur. Iccirco ex Summorum Pontificum Cōstitutionibus, cum opportunum videbitur populo Parochus denunciabit, simoniacos in ordine

ab or-

ab ordinis executione suspendi: In Beneficijs, & dignitatibus iure percipiendi Beneficiorum fructus priuari, nec illis vllum ius in Beneficijs acquiri: hos omnes, & eorum in simonia mediatores excõmunicationis vinculo ligatos detineri à solo Summo Pontifice absoluendos ex Bulla Pauli Secundi inter communes tit. de Simonia, & Pij Quinti, quæ incipit: *Cum primum Apostolatus officium, &c.* § 8. *Et vt Simoniacæ prauitatis labes, &c.* propterea constitutionis vtriusq. summa in lingua vernacula, vt omnibus innotescat, in nostra Cancellaria apponetur, &c.

De Beneficiatorum Oneribus.

INter cœtera quæ nobis in visitatione proposuimus, cum id non postremum locum obtinuerit, vt domum Dei deceat sanctitudo, & decor, cum eam B. Ioan. Apostolus viderit descendentem de Cœlo tanquam sponsam ornatam viro suo, & propterea locorum, & personarum habita ratione de Ecclesiarum Ornatu à nobis multa fuerint decreta, multa pariter de sacrosanctis Ecclesijs a prædecessoribus nostris sancita: quia tamen beneficia ipsa sunt aliquibus veneficia, vt inde ditentur, superbiant, luxurientur, omnisq. illorum cura in eo ponatur, vt propriæ vestes, & pretiosæ bene oleant, de quo illud: Non bene olet, qui bene semper olet: digiti radient de annullis, ne pes laxa pelle folleat, cincinnatuli, & calamistrati vt sponsi potius, quam Clerici appareant, & factis ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti quoddam prædicandi genus) illam ipsam vitæ rationem, quam ab ea primum die, qua à seculi vanitate conuersi tondente Episcopo professionem emiserunt ore proprio contestati: *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* si tamen ex corde, & non ficte, abnegasse, & ab ea apostatasse videantur. Horum Ecclesiæ ornamentis pene omnibus orbatæ, & vniuersa suppellectili destitutæ, vel si quam habent, vetustate, & vsu inutilis, lacera, & contrita est, suam nuditatem palam ostendentes, sine voce debita sibi ornamenta postulant, & in ipsa fabricæ substantia rimosæ, ruinosęq. reparationem, & auxilium nostrum implorant. Harum vicem, vt non possumus non vehementer dolere, ita pro quampluribus multa nobis est gloriatio, superabundamus gaudio, replemur consolatione, quod alias cum ingenti Rectorum laude viderimus diligentissime reparatas, non-

nullas

nullas à fundamentis magnificentissime extructas, & sacra supellectili abunde, & liberalissime ditatas. Illis vt consulatur, hæ vero vt conseruentur, hæc omnibus Ecclesiarum, & Beneficiorum Rectoribus præscribenda duximus.

Ecclesiarum Rectores id potissimum sibi proponant, vt tecta bene firma, & contignata seruentur, tegulis lateritijs ita in inuicem coniunctis, vt pluuiæ guttæ nequaquam impluant. Intrinsecus fornicatæ si fuerint, aut tabulato artificiose aut fabrefacto munitę, nullis profanis rebus fornices,& tabulata onerentur, columbariaue ne erigantur sub pœna scutorum decem, nisi aliud suaserit necessitas.

Pauimentum saltem lateritium habeant.

Fenestræ clatris ferreis, nisi cubitis decem à terra emineant, & vitro perlucido muniantur, aut saltem tela, quæ cera alba illita sit ad retundendum ventorum impetum, vel aeris inclementiam: ferreo item reti contectę ita sint, vt non tam vitrum, quam tela ab impetu grandinum seruetur, quam vt nidi, & frequentes auium volatus prohibeantur.

Altaria a suis Rectoribus, vel ab ijs, ad quos pertinet, ita extruantur, & omni ex parte adæquentur, vt sub ipsis nihil reponi possit.

Altaris mensa si non tota est consecrata, in eius medio sacer lapis octo vncijs longitudine, & totidem latitudine non minor inseratur, & tantum extet, quantum à Sacerdote celebrante tactu dignosci possit.

Altare totum si fornicato, aut laqueato tecto vna cum Sacerdote non tegatur, aut tectum adeo sit remotum, vt commode purgari non possit, vmbella ex tela, aut ex tabulis honeste pictis confecta cooperiatur.

Iconam habeat quodlibet Altare pijs Imaginibus depictis, fictis, seu sculptis ornatam, non laceram, non corrosam, situq. ac sordibus deturpatam, & si quæ in ea Imagines sint ita ineptæ vt potius intuentes ad quælibet alia, quam ad sacrorum mysteriorum memoriam renouandam, pietatem excitandam, eorumq. ad quos referuntur Sanctorum vitam cognoscendã, exemplaq. sectanda inducant, omnino deleantur, & earum loco aliæ ad eadem aptæ, appositæq. reponantur.

Altaria mappæ tres benedictæ semper cooperiant, quarum duæ totam mensam tegant, tertia superior ad imas vsq. Altaris

partes extendatur, eæq. saltem triplices habeantur, ne quando, cum purgandæ sunt, nuda Altaria conspiciantur.

Tela rubea, vel alterius coloris Altare semper tegatur, excepto Missæ tempore, vt mappæ à puluere, alijsve sordibus puræ, nitidæ, intactæq. conseruentur.

Candelabra duo ad minus habeant singula Altaria, maius vero saltem quatuor ex auricalco, cum Cruce octonea, & tabellam cum secretis Orationibus coronide aurata, vel decenter picta circundatam.

Pallia item duo saltem, alterum ex corio deurato, alterum ex serico pro die festo præsertim sancti Titularis, cuiusiam colore conueniat.

Scabellum suppedaneum, seu bradellam ligneam expolitam recte compactam, & firmam habeant, cui adijciatur ab Altaris fronte tribus extans, vel quatuor digitis in coronidis similitudinem tabula arte elaborata, quæ & ornet, & pallij inferiorem illam extremitatem ita contegat, ne calceis tangi, & deturpari possit. Sit eius latitudinis hæc bradella, cui Sacerdos commode possit insistere, eius autem longitudo Altaris longitudinem ab vtroq. latere superet, & illud cingat vsque ad parietem, cui adhæret, &c.

Ecclesijs, Capellis, & Altaribus onera, quæ sunt annexa, à Rectoribus per se ipsos, vel per substitutos, nisi aliter ex eorum erectione, vel fundatione præcipiatur, omnino persoluantur, tot Missæ statutis temporibus celebrentur, quot eorum obligatio, vel consuetudo postulat. Sancti Titularis dies festus celebretur cum Officio, & Missa solemni pro qualitate Ecclesiæ, vel Altaris, &c. ex rubricis, & decreto Sacræ Congregationis die 8. Aprilis 1618.

Qui per substitutum Beneficij oneribus satisfaciunt, ne alias muneris non adimplẽdi detur occasio, statuto tempore pactam mercedem sine vlla tergiuersatione persoluant. Morosi vnica citatione præmissa grauentur, vel, si fuerint absentes, ex Beneficij fructibus merces, etiam anticipata, desumatur per Sacristam maiorem in Cathedrali, in alijs per illius Ecclesiæ Rectorem, in qua Beneficium existit. Si vero Beneficium fuerit litigiosum nihilominus à sequestratarijs anticipate fructus accipiantur, ne debitis obsequijs debito tempore Beneficia fraudentur.

In ea-

In eadem Capella, seu Altare si plures adsint titulares pro rata fructuum cõcurrant omnes ad reparationem, & ad omnes alias necessarias expensas sub pœna priuationis fructuum, qui in Altaris ornamentum insumantur, donec omnia requisita, & in visitatione ordinata fuerint executioni demandata.

Ne libertati Beneficiorum paulatim præiudicium inferatur, nulli Ecclesiæ, Oratorio, Capellę, aut Altari tabellas, inscriptiones, aut aliquod insigne gentilitium, ex quibus huiusmodi Beneficia de iure patronatus præsumi possint, apponi permittent Rectores, & si prædictorum aliquid appositum fuit, nobis deferatur, vt amoueri, corrigi, & emendari possit, toti huic decreto qui non paruerit pęnę arbitrio nostro imponendę subiacebit.

De Vacantium Ecclesiarum Oeconomis.

VAcantibus Ecclesijs, ne quod damnum in animarum cura, alijsq. annexis oneribus pati contingat, quod debita stipendia ministris nulli persoluant, statuimus, vt defuncti Rectoris hæredes pro toto mense Decembris œconomo Ecclesiæ à nobis deputato debita stipendia persoluant. Pro tempore sequenti successor in beneficio pro rata fructuum collectorum. Verum quoniam omnibus, quæ accidere possunt, opportune occurrendum est, si tempore fructuum colligendorum Ecclesias vacare continget, ad instantiam Fisci nostri Episcopalis fructus eiusmodi, quibus prouideatur, ne vacantes Ecclesiæ debitis fraudentur obsequijs, nulla interposita mora per viciniorem Parochum omnino sequestrentur.

De Examinatoribus.

ECclesiasticorum officiorum munera cum nemini temere sint imponenda, sed ijs tantum, qui illa vitæ sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere possint, merito Summorũ Pontificum sanctiones, Patrumq. decreta sapientissime præceperunt, ne segniter procedatur in re, quæ maximi est momenti, vnde Ecclesiarum insurgit vtilitas, animarum salus, & diuino cultui maxima fit accessio, sed summa sollicitudine, fide, ac integritate, vt examinatores adhibeantur magistri, seu doctores, aut licentiati, qui iurent se, quacumq. humana affectione post-

posita fideliter munus executuros. Id de nostris examinatoribus, & si certissime speramus, ne tamen officio nostro deesse videamur, hæc pauca monenda duximus.

Vbi primum examinandus quis accedit, vultus, incessus, gestus, totiusq. corporis habitus, ac vestitus diligenter inspiciantur. Nam & si habitus, aut vestitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decētiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Totius autem corporis habitus quantum conferat, vt qualis quis sit quo ad mores assequi coniectura possimus D. Gregorius Nazianzenus Oratione prima contra Iulianum clarissime demonstrat. *Neq. enim boni mihi quicquam significare, aut ominari videbantur ceruix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens, & vagus, furioseq. intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, & contemptum, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes, & effrenati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens, spirituq. concisus, interrogationes stultæ, & præcipites, responsiones his nihilo meliores aliæ in alias insultantes, nec graues, & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Hæc vt perspexi statim sum prolocutus amicis: Quale malum Romanorum terra nutrit.* Ex gestu, & incessu à se quosdam notatos D. Ambrosius testatum reliquit: *Meministis filij quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret: Alterum quoq. cum in Clero reperissem iussisse me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Hoc solum excepi, nec fefellit sententia: vterq. enim recessit ab Ecclesia, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demōstraretur. Lucebat in eorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarū percursantium.* Si quis igitur vestitu deformi, & ab Ecclesiastico decore, disciplinaq. alieno indutus accesserit, tandiu illi aditus ad examen interdicatur, donec ad præscriptum Synodalium Constitutionum modestis vestibus tectus, congruentiq. tonsura à Laicis distinctus reuertatur. Semperq. ad superiorem accessurus Clericali birreto vtatur.

Nullum examinandum examinator collegis vlla ratione commendet, meminerintq sicut qui ambitiosis commendationibus ad examen aditum sibi parant sine peccato, & periculo

simo-

ſimoniæ eſſe non poſſunt, ita ambitioſis huiuſmodi commendationibus qui mouentur examinatores nec peccatum effugere, nec omnem humanam affectionem, vt iurati ſe depoſituros promiſerunt, a ſe ipſis fuiſſe poſthabitam demonſtrabunt.

Si quis examinatorum examinandum aliquem priuatim exercuit, erudiuit, edocuit, de materia nihil ſignificet, nihilq. innuat, circa quam in examine illum voluerit interrogare, vt omnis collusio cum periurij periculo tollatur, alias non modo ad illius examen non adhibeatur, ſed ne quidem adeſſe permittatur, immo ſubtrahere ſe, & declinare illius examen omninò teneatur ſub pœna peccati mortalis.

Cum Eccleſiaſtica beneficia quo ſunt inſigniora, eo maiora in concurrentibus ſcientiæ, prudentiæ, & aliorum quæ requiruntur poſtulent incrementa; propterea ex varia Eccleſiarum conditione, varia quoq. examinandi ratio inſtituenda eſt. Hæc ſicuti commode præſcribi non poteſt, ita prudenti examinatorum arbitrio, niſi aliud nobis videatur, relinquenda eſt.

Licet approbationis deciſio à ſecretis ſuffragijs tota pendeat, quia tamen neceſſario de cōcurrentium vita, & moribus, alijſq. illorum qualitatibus ſermocinationes, diſcurſus, & colloquia aliquando habenda ſunt, tam ſuffragia, quam etiam ſermocinationes, diſcurſus, & colloquia perpetuo ſilentio tegantur. Horum quicquam propalare qui præſumpſerit peccatum mortale ſtatim incurrat.

Ante examen triduo ſaltem nomina ſua deſcribenda tradant concurrentes; & litteras teſtimoniales de vita, & moribus à ſuo Parocho deferant in manibus Cancellarij Epiſcopalis tunc relinquendas. Parochus autem contra veritatem, ſi quid in huiuſmodi teſtimonialibus litteris teſtatus fuerit, ipſo facto ſuſpenſionem incurrat, vt ante de ordinandorum teſtimonialibus ſancitum eſt, &c.

De Matrimonio.

QVi Matrimonium clandeſtine contraxerunt, eos deinde Parochus non coniungat, niſi de noſtra, vel Vicarij noſtri licentia ad hoc vt legitima remedia adhiberi poſſint.

Si contingat, vt præſente Parocho, teſtibus, & Notario, etiam iureiurando interpoſito ſe Matrimonium inituros aliqui promit-

mittant, ac deinde per verba de præsenti Matrimonio non legitime contracto se cognoscant, id non est Matrimonium. Propterea sibi subditos Parochus admoneat, vt ab his omnino abstineant, & huiusmodi contractibus si quando Parochum adesse contingat, curet vt verbis fiant clarissimis, quæ, fueritne Sponsalium, an Matrimonij contractus, omnem omnino tollant dubitandi occasionem. Verum si per verba de præsenti ijdem contrahere voluerint, modo nullum adsit impedimentum, & seruata Sacri Concilij forma, nullatenus impediantur.

Parochus nulli Sacerdoti potestatem faciat, vt pro se Matrimoniali contractui assistat, qui prius à nobis non fuerit approbatus ad Sacramenta administranda, & si approbatus fuerit illi coadiutor datus, in eodem Libro in quo Matrimonia, illius nomen, & cognomen, præterea Mensem, & Annum notet, quo sibi socius, & coadiutor ad Parochialia munera obeunda fuerit concessus. Si quando tamen vel nos, vel Parochus alicui Sacerdoti Matrimonio assistendi facultatem concesserit, ea detur in scriptis, & Parochi propria manu in Libro Matrimoniorum describatur.

Et aliena Diœcesi nullos in Parochia sua Parochi permanere permittant, de quibus legitima suspicione conijciatur quam secum habent mulierem esse Concubinam, nisi certo tempore præfinito Ordinarij sui testimoniales de matrimonio contracto litteras attulerint, quas à Vicario nostro approbatas in Libro Matrimoniorum describent.

Parochus si probabilem habet de Puellę non libera voluntate suspicionem, id ad nos deferat, nec vlterius procedat, nisi expectata, & habita a nobis facultate, qui re diligentissime perquisita quid faciendum sit, mature decernemus.

Qui in quarto, & quinto affinitatis, aut consanguinitatis gradu simul coniuncti sunt à Parocho non impediantur quominus Matrimonium libere contrahant, modo seruentur, quę à Sacro Concilio præscribuntur.

Matrimonium contrahere volentes moneat Parochus, ijsq. declaret Matrimonium scienter contrahere præsumentibus in gradu prohibito tum affinitatis, tum etiam consanguinitatis vltra inflictas à iure pœnas, propositam esse excommunicationis latæ sententiæ censuram, & præterea consequendæ dispensationis omnem spem esse ademptam ex Sacro Concilio. Insuper

addat

addat ex Concilio Viennensi præcipi Ecclesiæ Prælatis, vt eos, quos taliter contraxisse constiterit, excommunicatos tandiu denuncient, donec suũ humiliter recognoscentes errorem separentur ab inuicem, & absolutionis beneficiũ obtinere mereantur. Matrimonium præsente Parocho loci, vbi contrahitur, & non præsente proprio alicuius ex contrahentibus, vti irritum & nullum, quemadmodum re vera est, nunc omnino declaramus.

De Exequijs, & Funeralibus.

QVanti sit apud Deum meriti mortuos sepulturæ tradere Angeli ad Tobiam verba clarissime demonstrant *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam domino.* Hoc insigne pietatis, & misericordiæ opus in nostra Ciuitate, & Diœcesi licet quam maxime eluceat, multaq. de eo per prædecessores nostros sanctissime fuerint sancita, nonnulla tamen illis addere duximus, quibusdam de vltimis voluntatibus, & testamentis cum funeralibus, & sepulturis quammaxime coniunctis ante præmissis. Et quoniam homini natura insitum est, vt nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimescat, hunc vero timorem cum magnopere augeat præteritorum scelerum memoria vrgente grauissima conscientiæ accusatione, vnde fideles timore quam maximo perculsi se miris modis exagitari sentiunt, & quæ ad mentis tranquillitatem summopere est necessaria male ablatorum restitutio, vel quæ præ cæteris vnice conducunt in pauperes eleemosynę, relicta aut legata ad pias causas pro peccatorum remedio sæpe, ac sæpius consanguineorum, affinium, amicorum, aut domesticorum hominis super omnia tunc temporis inimicorum ambitione, auaritia, ignorantia forsan, aut ipso religionis neglectu, & malitia, interdum etiam illius pœnè morientis vana superuiuendi fiducia, stolidoue quodam in hæredes affectu, aut fatua pietate vna cum animæ salute obliuioni mandantur. Propterea his omnibus quantum in domino possumus prouidere volentes, animarumq. saluti consulere. Statuimus, vt in infirmitate, & mortis periculo quibuscunq. constitutis Parochi rerum suarum dispositionem suadeant, & ad condendum testamentum homine Christiano dignum adhortentur,

tentur, illis adsint, curentq. vt vita functis testatoribus quantum citius fieri potest ab ijs, ad quos pertinet vltimæ ipsorum voluntates adimpleantur.

Sępius hortentur Parochi fideles, ne Defunctorum testamenta, vltimasq. voluntates diutius differant adimplendas, vt inde pateat, se non solum amasse viuentes, sed quod paucorum est etiam vita functos, & eos præcipue, qui sui meliores alios fecere merendo, & ne ob eandem causam grauiter peccent, sacrilegium committant, & animarum, quibus damnum inferunt, dicantur necatores. Idcirco Notarios, qui intra duos Menses Pia Legata nobis, & ijs, quorum interest non denuntiauerint, hæredes non legitimo impedimento à nobis approbando non impeditos, qui intra sex Menses, nisi aliud in vltimis voluntatibus præscribatur, non adimpleuerint, nullus absoluat, & pœnam vigintiquinque aureorum incurrant, Legatarioq. seu Legatarijs omne interesse quod passus, vel passi fuerint compēsare teneantur. Istos absoluere qui præsumpserit, pœnam suspensionis à Confessionibus ipso facto incurrat, in eaq. arbitrio nostro permaneat.

Domo cum effertur Cadauer recta in Ecclesiam ducatur. Si vero ita sit via breuis, vt qui funus comitantur intra illius fines contineri nequeant, tunc via paulo longiori ducatur, iussu tamen, & concessione Parochi, qui semper funeri pręsit, & ab eius præscripto ne latum quidem vnguem discedere liceat. Secus Vespilo qui fecerit per annum ab officio suspendatur, alijsq. pœnis in eum animaduertatur Vicarij nostri arbitrio, &c.

Clericorum cadauera à Clericis eiusdem ordinis omnino efferantur, vt Sacerdotum a Sacerdotibus, Diaconorum à Diaconis, Subdiaconorum à Subdiaconis, Minorum Ordinum ab ijs, qui sunt in Minoribus constituti. Si quando tamen aliud cogat necessitas, nunquam inferioris ordinis Cadauer efferant Clerici in Superiori ordine constituti in habitu Clericali, neq. vices suas alteri quisquam committat eleemosynæ partem sibi retinendo. Quocūq. efferatur Cadauer à Clericis eiusdem Collegij, vel Congregationis si commode fieri potest efferatur, & si minus eiusdem Congregationis præ itineris longitudine sufficere possunt, alterius Congregationis à Parocho tantum, & non ab alio alij aduocentur.

Immediate post Clerum Cadauer efferatur, insignia illa Confrater-

fraternitatum, quæ proprium non habent habitum, nec locum inter alias, Cadauer subsequantur.

Funeralium causa, Exequiarum, Sepulturę nemini quicquam pacisci liceat; quicquid tamen eleemosynę gratia vltro, & sponte tribuitur, non prohibemus, quin accipi possit, quemadmodum etiam pias consuetudines omnino seruari volumus. Quoniam tamen, iuxta Apostolum, *ab omni specie mala abstinendum est*, caueat Parochus ne quicquam ante, vel in ipso actu exigat, ne id quod bona intentione fit, in malam partem interpretentur, & indę aut simoniæ labis, aut auaritię suspicio concipiatur. Post vero, pias consuetudines seruare qui neglexerit, omni iuris remedio, etiam per Vicarium nostrum compelletur. Propterea vbi ea viget consuetudo, vt certa quædam eleemosyna, vel certa tritici mensura pro anima Patris, vel Matris familias ipsi Parocho tribuatur, quam vulgo appellant, *il Padrinatico*, vt seruetur Parochus omnem operã, modeste tamen, adhibeat.

Mansionarij tam cum Capitulo, quam sine funeribus cum interfuerint; Singuli singulis carolenis quinque videlicet bononenis contenti sint, & nihil aliud petant.

Sacristæ duo, & Sacrario Canonicorum qui seruit, singuli pariter vnum tantum habeant carolenum. Sacrista vero, qui in Ecclesia pro Baptismo administrando, & pro alijs Ecclesiæ seruitijs, ac necessitatibus remanebit, ac si funeri præsens adesset. Eleemosyna sua nullatenus defraudetur.

Suam Crucem omnes cum Superpelliceo prosequantur, eam non sequentes nullam habeant eleemosynam, & si forte extorserint non faciant illam suam, vt à Prædecessoribus nostris alias decretum fuit.

Musici ad funus vocati pacta mercede sint contenti, & nihil vltra petant. ex liberalitate vero vltra pactam mercedem si quicquam dabitur, vt cum gratiarum actione possint accipere libentissime concedimus.

Vespillones à nobis, vel Vicario nostro numero quatuor deputentur, qui ad pauperum funera vocati accedere debeant ea contenti mercede, quæ eis dabitur etiam tenui, à miseris vero, seu mendicis, qui nihil dabunt, nihil petant, contra si fecerint, officij priuatione, & alijs etiam pęnis arbitrio nostro multẽtur.

Quoniam vero non exigua oritur confusio, si statis horis inuitati nõ adsint, Ecclesiasticasq. personas diutius expectare pro-

pter Confratrum, vel aliorum moram quammaxime dedecet, propterea expresse præcipimus, vt omnes, & singuli statis horis conuenire, sub suis quiq. vexillis, & insignibus grauiter, & modeste incedere, & Cadauer vsque ad Ecclesiam Psallentes comitari, nec inde, nisi cantato *Tremens factus sum ego* discedere debeant, discedentesq. Crucem suam si qui vsque ad Ecclesiam, siue locum vnde discesserunt, vt Cruci debitum exhibeant honorem, Populo modestiæ, ac religionis exemplum, vita functis veniam, & requiem impetrent sempiternam.

Examinatores Synodales Ex Capitulo.

D. Franciscus Naldius Præpositus Cathedralis.
D. Albertus Mamianus Canonicus Pœnitentiarius.
D. Bartholomæus Gasparinus Canonicus Theologus.
D. Marcus Antonius Rizzardellus Canonicus.

Ex Clero Ciuitatis.

D. Iacobus Zuccolus Rector S. Margaritæ.
D. Io. Baptista Zanolinus Rector S. Stephani.
D. Alphonsus Paganellus Rector S. Saluatoris.
D. Io. Baptista Violanus Rector S. Bartholomæi.
D. Iacobus Bassius Rector S. Vitalis.

Ex Clero Diœcesis.

D. Thomas Burnaccinus Præpositus Collegiatæ Bersighellæ.
D. Hieronymus Violanus Prior Mutiglianæ.
D. Iulius Leoncinus Archipresbyter Bagnacaballi.
D. Io. Iacobus Cassanus Archipresbyter Cotignolæ.
D. Petrus Campidorus Archipresbyter S. Andreæ.
D. Cæsar Mainardus Archipresbyter Montis Fortini.
D. Liuius Vbaldinus Rector S. Iacobi de Cardeto.

Ex Regularibus.

Frater Franciscus Seuerolus Theologus Ordinis Prędicatorum S. Dominici.

Magi-

Magiſter Ioſeph Righius Prouincialis Minor. Conuentualium S. Franciſci.

Magiſter Io. Antonius Templonus Ordinis S. Mariȩ Seruorum.

Rector Societatis Ieſu.

Teſtes Synodales.

D. Franciſcus Bonfilius Rector S. Iacobi.
D. Ludouicus Cauina Archipresbyter S. Barbaræ.
D. Dominicus Miſſirolus Archipresbyter S. Proculi.

Iudices Synodales.

D. Ioannes Naldius Canonicus.
D. Alphonſus Paganellus.
D. Iacobus Baſſius.
D. Antonius Seuerolus.

Reuiſores Computorum pro Pijs Locis.

D. Hieronymus Cariarius.
D. Dominicus Baccarinus.

FINIS.